

posita sunt, decubitus in latus sanum gravis, propter
tensam ex appensa tumoris mole membranam, & si
exquisite talis sit, dolor extensus ad jugulum usque, val-
deque pungens, simul & gravativus, quodam modo et-
iam pulsatorius. *In notha* & spuria omnia sunt remis-
siora, praesertim si muscoli intercostales externi affici-
antur. Tum n. tumor ferè circumscriptus, qui pressu
tactuq; exacerbari percipitur, difficilis in latus agrum
decubitus, nulla tussis, nullaque spuratio subest.

22. *Signa caussarum* distinctiva sumuntur *partim*
ab antegressis, utpotè temperamento, ætate, victus ra-
tione, anni tempore, regione & similibus, quatenus a-
lium atque alium humorem redundare significant:
partim ab excretis & expectorato. Sputum n. pallidum
& flavum, *bilem*; rubrum, cruentum, *sanguinem*; spu-
mosum atque album, *pituitam*; nigrum ac fuscum, *a-
tram bilem* significat. 5. de l. aff. c. 2. 6. aph. c. 33. *partim* à
consequentibus. Dolor n. cum punctione tensivus, va-
forum repletio, rubor faciei, pulsus plenus, urina ru-
bra, *sanguinem* sincerum denotant. Permistum enim
& cacochymum, febris vehementior, pulsus durior,
dolor acrior, sitis, amaritudo oris, urina colorata, *si bi-
lis*: dolor v. & febris remissior, propensio in somnum,
pulsus mollis, urina cruda, *si pituita*, & denique dolor
obscurus, siccitas oris & linguæ, pulsus parvus, urina
rubea & obscura, *si melancholia* sanguini permiscea-
tur.

23. Prognostica signa vel sunt *longitudinis &
brevitatis*, vel *salutis & mortis*, vel *modi solutionis*:
Longam aut brevem fore præcognoscimus *quædam* ex
idæa morbi, quatenus quæ biliosa aut sanguinea, bre-
vior est, & instar acutorum aliorum intra 14 diem fini-
itur;